

Zb
2966

XI, 45.

4, 293⁶



36

Contenta

1. Joh. Andr. Svanand Oratio auf Johann Salbman.
2. Mich. Vauil Gedächtnis auf des Salbman Tod.
3. Kaval. Max. Salina Gedächtnis auf des Salbman Tod.
4. J. C. Lavater Oratio an den hoch. Franz. Gallus.
5. 1. Franz. und Gustav: ein Trauer bei dem Tode
des Hrn. Franz. Gallus.
6. Ungenügetes Spinnennetzwort bei dem
Tage des Hrn. Franz. Gallus.
7. Joh. Aug. Ernesti elog. Christ. Fürchteg. Gellerti.
8. In Königl. Preuss. Abbildung und Beschrei-
bung der Mühlstein Medaille auf Gallus
Gedächtnis.
9. Laudationsrede französisch.

7.6

ELOGIVM
VIRI
CLARISSIMI ET AMPLISSIMI
CHRISTIANI FVRCHTEGOTT
GELLERTI
PROFESSORIS PHILOSOPHIAE
EXTRAORDINARIII

D. XIII. DEC. A. C. MDCCCLXVIII.

PIE DEFVNCTI

PVBLCICE SCRIPSIT

IO. AVGVSTVS ERNESTI

LIPSIAE,
APVD WEIDMANNI HAEREDES ET REICHIVM.



ELOGIUM

VIRI

CLARISSIMI ET AMPLISSIMI

CHRISTIANI FÜRCHTEGOTT

GELLERTI

PROFESSORIS PHILOSOPHIAE

EXTRAORDINARII

D. THEOL. & C. G. J. SCHULZII

IN DIE DECEM

IO. AVGVSTVS ERNESTI

LIPSIÆ

APUD WIDMANNI HÆREDIUM ET LIBRARIUM



In via virtutis vel demonstranda, vel ingredienda, facile ac saepe fit, ut a veritate et recto cursu aberrerent opinionibus et institutis suis, etiam qui virtutis nomen carum habent, eamque bono animo aggrediuntur vel cognoscere ac demonstrare aliis, vel ipsi expetere. Nec ea fraus obrepit modo illis, qui humanae sapientiae lubrico nituntur, destituti certis doctrinae divinae fundamentis, sed etiam his, qui divina se praecepta et exempla sequi profitentur. Originem fraudis huius genus universum habet maxime hanc, quod in iudicanda causa virtutis, varie afficiuntur homines, vel a communi nationum, vel suae ingenio naturae, morum, temperamenti, consuetudinis vivendi sentiendique de rebus bonis et malis, expetendis ac fugiendis, quod seculum vocat vetus latinitas, imitante Francogallorum sermone. Itaque ut ab his rebus moventur, ita in iudicio studioque virtutis in aliam aliamve partem et veluti sectam viae deducuntur, nec rectum cursum vel videre iudicio vel tenere in agendo possunt. Ciceronis est hoc, super varietate opinionum de summo bono, qua inter se discrepabant eiusdem Socratis discipuli, cum omnes auctoritatem magistri sequi se contenderent: cum Socrates de bonorum humanorum generi-

-bus

A 2

bus

bus ita disputasset, ut modo scientiam, modo vacuitatem a dolore, alio item tempore virtutem, alio aliud genus laudaret studiosius, aliam ab alio exceptam disputationem, et ad summum bonum, velut de Socratis sententia et iudicio, tractam esse, prout quisque inter disputandum se maxime affectum sensisset. In quo ipso, dubitari non potest, quin vel ante susceptae opiniones valuerint, vel sensus quidam proprius, per quem ad bonorum quodque genus imprimis amplectendum traherentur. Stoicae disciplinae auctor Zeno profecto non alia causa ad illam tantam, et ab humanitate longius abhorrentem severitatem asperitatemque et praceptorum et vitae tractus est, quam quod ipse natura durior esset atque asperior: nec illa placuit fere, nisi quibus eandem ingenii duritiem induisset natura, ut Catoni. In ipsa Ecclesia Christiana accidisse hoc videmus, ut, qui tetrica essent natura, et ab affectione quadam corporis vitiosa prae ad tristiorum rerum imagines concipiendas, indulgerentque libenter tristibus cogitationibus, hi igitur ut virtutem Christianam effingerent, in qua omnia tristitia essent, plenaque severitatis et prope saevitiae in semet ipsos, eoque traherent interpretando dicta quaedam Christi et Apostolorum. Itaque modum pietatis virtutisque colendae ponebant in exercitationibus et afflictionibus corporis per jeunia, vigiliis, et in abstinentia ab earum rerum usu, quae gratum sensum habebant, et ad corporis curam animique oblectationem pertinerent, nihil veriti Christi et Pauli iudicium, qui hoc genus plane improbarant, et hypocriticum pronunciarant. Nec tamen minus in vitio fuere alii, qui dum virtutem et

pieta-

pietatem ab illa nimia et inani severitate atque tristitia liberare vellent, et accommodare ad naturae vitae communis rationes, eam negligentem, voluptariam propemodum et minifram cupiditatum humanarum fecere. Adeo difficile est, etiam in hac tam gravi re, medium secare, et in neutram partem nimium esse, magisque parere veritati divinitus propositae, quam suorum sensuum ludibriis obsequi.

Vix alia fuit ante hanc nostram aetas, quae magis in ore haberet virtutem, eius laudes praedicaret, existimaretque, per earum exquisitum artificium efficaciter se commendare virtutis studium; cum interea virtutis vera exempla indies fiant rariora. Atque nos hoc tempore non de universis vitiis dicimus, quae in ratione virtutis, e seculi praesentis more tradendae commendandaeque, reperiuntur; in quibus sunt etiam, quae pertinent ad religionem: illud non alienum sit ab instituta oratione attingere, quod pertinet ad usum et vim praeceptorum, per quae volunt homines amore et admiratione virtutis et odio vitiorum imbuere, ut iis sensibus ad virtutem ipsam expetendam et exercendam alliciant, et ab vitiorum consuetudine absterreant.

Ac videmus primum, multos ex iis, qui se virtutis magistrōs et praecones ferunt, ferunturque fama et opinione multorum, non de plebe, sed qui plus sapere aliis, et sensu acri pulcri et honesti valere existiment, eos igitur hoc maxime agere, ut in tota illa ratione sint ingeniosi, et placeant legentibus. Itaque refertiunt disputationes suas locis communibus, sententiis bellis et acutis, imaginibus rerum hominumque exquisita arte pictis, etiam motibus, eaque

omnia verborum floribus conspergunt. Sunt etiam, qui fabularum artificio, non de genere Aesopico, sed historiarum aemulantium utantur, per quas imagines virtutum aut vitiorum expriment, vel ad imitandum, vel ad fugiendum. Nec desunt adstipulatores homini Francico, qui scenam ipsam, praesertim tragicam, pro schola virtutis commendent, quod ea vivas virtutum vitiorumque imagines exhibeat, sitque plena et sensibus ad eam rationem pertinentibus; quibus imprimendis amorem virtutis, odiumque vitii, virtutem denique ipsam venire.

Causa novae huius sapientiae profecto est a seculo ingenio et moribus. Nam dum in rebus omnibus, in ratione aedificandi, sive aedibus ornandis, in supellectili omni, in vestitu, in cibis, similibusque rebus, exquisitior cultus, et suavitas conditior quaeritur; dum indulgetur sensibus mollioribus et teneris, vel ad suavitatem, vel ad moerorem, dum phantasiae bella ludibria placent, hisque sensibus qui moventur, eae bellae animae et sentientes (nempe quae solae sensum habeant) dicuntur, dum hoc iam seculum est ac dicitur, res a vanis et ludicris etiam ad seria et gravia deducitur. Nec ambigi potest, totum hoc ortum esse a gestiente ad suaviter patiendum, et pruriente ad placendum ingenio Francogallorum: eam scabiem paullatim ad nationes alias transisse, inprimis quod mireris, ad illam gravem et severis studiis deditam praeter ceteras Britannorum, cum deformitate hoc maiori, quo minus illis ingeniis, natura ferocioribus et austerioribus, accommodari tam levis et mollis in rebus gravissimis ludendi persona potest. Sed dulcia vitia, ut scabies,

scabies, facilius ad alios transeunt, recipiunturque celerius et avidius.

Ac nos non sumus ii, qui ista sic contemnamus, ut nullam iis partem utilitatis relinquamus, aut in his generibus neminem elaborare velimus. Immo vero iis, qui in his tractandis recte versantur, laudem ingenii libenter concedimus: virtutis verae idoneos et efficaces magistros esse, haud dubitanter negamus. Nec ipsi fortasse, si verum fateri velint, aliam quam ingenii laudem expetere se dicant, eaque si ipsis tributa sit, summam spei et consilii se adeptos putent. Nam in totum hoc genus profecto convenit, quod dictum legimus a Francogallo, non occurrit, quod, de oratoribus laudes alienas oratione celebrantibus: non tam hoc spectari ab iis, ut laudent admirenturque auditores eum, cuius laudes audierint, sed ut ipsos, ipsorumque in laudando ingenium et artificium. Estque hoc commune omnibus, quorum labor et ingenium in artificio exquisito versatur, ut pictorum, statuariorum. Non tam placere volunt eos, quorum speciem exquisito opere expressere: nam et in deformibus artificio suo utuntur: quam semetipfos et artificium suum. Illud vero et rei natura moti, et usu multo confirmati, serio affirmamus, e toto illo genere nihil praeter oblectationem, non illam quidem illiberalem aut turpem, sed tamen ad virtutis ipsius rationem nihil profuturam, expectari debere. *Quid? qualis tibi visus est orator iste?* interrogabat aliquis egredientem una de templo amicum. *Mirifice, inquit, delectatus sum oratione hominis: adeo pulcre peccati foeditatem pinxit:* hoc ipso verbo usus.

Felicem

Felicem vero Evangelii praeconem, qui hoc effecerat! Immo miserum, si id ipse spectarat. Si spectarat aliquid amplius et maius, et quod spectare debebat; misere falsus fuit, qui ita dixerat, ut tali laude maclaretur. Profecto et rei natura hoc clamat, et usus ipse docet, aliud nihil esse in illa nova virtutis docendae commendandaeque ratione, nec vero esse posse. Nam et totum illud genus dicendi ad solam oblectationem inventum est, eaque est communis sententia omnium idoneorum dicendi magistrorum. Itaque omnes etiam illam ingeniosam rationem dicendi a rebus veris, gravibus, magnis, in quibus non oblectatio quaeritur, sed vera utilitas publica et privata spectatur, abesse volunt, et solis umbraticis scholae declamationibus super causis fictis relinquunt. Nec profecto aut sapientia ea, quae fit magistra vitae et virtutis, expultrixque vitiorum, sustineatque munus omnium, dignitate gravissimum, difficultate in efficiendo maximum, potest dignum esse, rem tantam ad oblectationem inanem audientium, et ad laudem belle dicendi ac scribendi referri, aut animus humanus, a virtute alienus, vitis obsequi fuetus, per blanditias verborum extorqueri sibi finat, quod tam diu adamaverit, aut serium impetum et conatum capiat virtutis insuetae et difficilis capestendae per actiones sibi insolitas et molestas. Vera sapientia, cum hoc agit, non sensibus et phantasiae per oblectationes blandiatur, aut animo per earum celeriter transituros motus adrepat, sed ei per constantiam intelligentiae imperet seriae et perspicuae officii necessitatisque cognitione: imiteturque medicos, qui morborum, ut graviores sunt, ita amariora et asperiora remedia

remedia proponunt, nec valetudinem restitutam dulcibus corroborant cibis; quos omnino gustari volunt, non copiose sumi ad oblectationem sensuum.

Atque bene esset, si inani oblectatione consumeretur illa ratio, non obesset etiam virtuti, et eius verae ac salutaris disciplinae. Sed nobis est persuasum, ista oblectatione, qua imbuunt animos isti arguti et ingeniosi virtutum praecones, et vitiorum blandi et suaves adversarii, induci languorem et mollitudinem animi, per quam nec audeat subire labores, nec sustinere possit, quibus vitium frangatur, et virtus in animo fundetur, denique etiam severis officii praeceptis vim suam paulatim detrahi apud homines, in disciplina virtutis cognoscendae et exercendae, aduetos voluntati tali, et in cognoscendo summam ponentes in oblectatione aurium et suavibus motibus sensuum, et rem longe gravissimam et maximam in ludicram voluptatem converti. In cibis quidem ad confirmandum recreandumque corpus comparatis, videmus fieri, ut illam vim amittant, sintque onerandis magis corporibus, quam sublevandis, cum ad suavitatem sumuntur, omninoque cum in ciborum delectu suavitas maxime expetitur.

Nec vero, cum a virtutis disciplina vera et salubri aliena dicimus genera et artificia ista, in quibus oblectatio quaeritur, propterea praecepta vitae recte insituendae disciplinamque virtutis spinosam et obscuram sententiis, aut vitiosam et sordidam verbis, nudamque ab omni gratia esse debere defendimus. Est aliquid inter sordidum et unguentatum, inter amaritudinem fellis et dulcedinem mellis. *Quantum ille*

B

Stoico-

Stoicorum princeps Zeno, cum ei esset obiecta verborum tristitia, et exprobrandi causa laudata eloquentia aliorum, non absurde respondisse fertur, etiam Alexandrinos numos esse longe pulciores Atticis, at hos ponderosiores; et sine dubio melior est et salubrior *Epicleti* et *Antonini* tenuitas et quasi siccitas, quam arguta et dulcis luxuries Senecae, qui, auctore Tacito, non quid rectum esset, sed quid auribus seculi mollis placeret, videbat. Oportet utique magistrum virtutis cognoscendae et studiis hominum commendandae non esse barbarum, horridum, exsanguem ac prope infantem: oportet esse disertum, et qui ita dicat, ut alliciat ad audiendum ac legendum, non deterreat, ut erudiat et prudentiores reddat, ad animum admoveat orationem; sed haec omnia apte faciat ad naturam rerum, in quo est, auctore *Aristotele* atque *Cicerone*, bene dicendi ac scribendi principatus; pugnetque sententiarum et argumentorum bene ac diligenter explicatorum pondere, ut habeant homines quod salubriter cogitent, cui cogitando immorentur, ut vis se per ipsam cogitandi tranquillam constantiam insinuet in animos, fleatque ad obediendum, hoc est, ad verum studium virtutis; quacum ipsa demum verus amor virtutis veniet. Nam amor virtutis ille, quem vulgo iactant, quem volunt esse a demonstrata pulcritudine et praestantia virtutis, per illas artes, de quibus diximus, mera et inanis cogitatio est, habens aliquid oblectationis celeriter transiturae, non amor, qui proprie dicitur, incendens et alens virtutis exercendae studium: sicut nec doctrinae amor proprie est in iis, qui eius nullam aliam commendationem norunt, quam a lau-

de

de aliena, sed in his modo, in quibus est ipsa; amaturque semper pro magnitudine sua.

Quo magis agnosci debet ac praedicari sapientia et gravitas nostri nuper GELLERTI, Viri Clarissimi, qui ab hac seculi nostri labe ut pura esset disciplina sua in docenda iuventute, et in scribendo, providit, teneretque viam, quam supra tetigimus, mediam inter illam ludicram et quasi voluptariam virtutis tradendae rationem, et horridam alteram invenustorum hominum, et barbariae sordibus obsitorum. Nam etsi et ipse scripsit, quae magis ad oblectationis, sed tranquillae et liberalis, nec inutilis adeo, consilium referrentur, ut fabulas scenicas e genere comico, itemque philosophicas, ut de Comite Suecica; tamen ea nunquam ad virtutis, quae proprie appellatur, rationem retulit. In ipsius quidem virtutis disciplina semper gravitatem et severitatem praecipienda primam duxit, paullulum loci tamen relinquens elegantiae orationis, non per quam proprie virtus aliquid lucraretur, sed quae animos in cognoscendo teneret, et aditum gravibus, nec sua natura admodum iucundis, patefaceret et ad intelligendi facultatem, et ad obediendi qualemcunque inclinationem. Et tamen animadvertit et agnovit magno cum dolore, etiam in iis, a quibus assidue audiretur, et, quae in hanc partem scripsisset, studiosè legerent, laudibusque ferrent, multos esse, qui ea magis ad oblectationem inanem viderentur referre, quam ad animi conformationem et virtutis verae studium severum et constans; quod opus virtutis in iis non appareret, sed intra sententias, utcunque exceptas, et verba honesta res subsisteret. Quem

plv

B 2

dolo-

dolorem suum etiam, non longe ante obitum, per occasiōnem aliquam communicavit cum amico.

Sed qualem virtutis auctorem eum habuerimus, et quam dignum ipsum tali disciplina, planius intelligetur, si tota vita qualis fuerit, quae instituta discendi docendique, quod ingenium, qui habitus animi, qui sensus moresque, quae fortuna, qui vitae exitus, breviter commemoraverimus. Hoc igitur agamus.

Natus autem est anno seculi huius quintodecimo, die quarta Julii, patre *Christiano*, qui, in oppidulo (*Haynichen*) inter Fribergam et Chemnicium, sacra per quinquaginta annos amplius fecit, magna cum fide et religione. Initium discendi literas fecit in ludo oppidano; cuius disciplinae post accessit paterna domi. Inde missus in scholam Misnensem, didicit sub magistris non contemnendis. Ibi et initia facta sunt amicitiae, quam habuit cum *Rabenero* et *Gaertnero* fidelem et iucundam ad finem usque vitae. Venit post Lipsiam, ad maiores doctrinas literarum percipiendas: audivitque *Foecherum*, *Kappium* et *Christium*, literarum elegantiorum causa, *Adolphum Frider. Hofmannum* in Philosophia, utroque in genere *Gottschedium*; in literis hebraicis *Hebestreitium*, *Klausingium* et *Weissum* in Theologia. Ita cum quartum annum ageret, revocatus est domum, quod pater sumtibus in eo faciendis non amplius sufficiebat. Erat enim ei numerosa suboles, et nostrum iam quintum filium in Academia aluerat. Non diu apud patrem fuerat, cum ei, de *Loescheri*, Theologi Dresfenensis clarissimi, commendatione, desertur paedagogia in domo

viri

viri generosi; qua deposita posthaec, apud patrem primum literas docuit e sorore nepotem, eique comes venit anno primo et quadragesimo in hanc urbem, non modo studia eius moresque ut regeret, sed ut et ipse disceret nondum percepta, et, quae didicisset, exerceret. Itaque iterum audiit *Hofmannum* Philosophum, cuius in superiori commoratione magna captus fuerat admiratione; quod ei visus erat ceteris subtilior: eumque ita audivit, ut omnia verba eius, velut totidem oracula, exciperet ac scriberet: ceterum nihil omnium, quae audisset scripissetque, se intellexisse confitebatur inter amicos, idque etiam scripto de vita sua vidimus esse testatum. Et tamen saepe spem fecerat doctor subtilis, magni inter Philosophos nominis. Inter haec ipse alios erudiebat exercebatque ad vernaculae linguae facultatem, quam et paullatim ipse experiri, iudiciumque super ea peritorum cognoscere tentabat; de quo post dicemus plura. Sed cum in hanc urbem reversus, vota fecisset, ut in ea sedem fortunarum nancisceretur, intellexit, sibi opus esse honoribus literarum et Philosophiae Academicis, per quos et potestas privatim docendi daretur. Itaque illos quidem capessivit anno tertio et quadragesimo, hanc autem adeptus est non ita multo post Disputatione publica, *super Poesi Apologorum et eius auctoribus*. Tum vero lectiones habuit assidue ac diligenter, quibus praecepta Poeseos et Eloquentiae traderet, exercebatque plures in utroque genere facultatis comparando. Nec institutum carebat successu, pluribus disciplinam expetentibus, quam sibi profuisse testarentur, qui erant ea usi, famaue eius per plura opuscula utriusque generis

ris scribendi aucta, imprimis per fabulas variis generis. Quae res etiam hanc vim habuit, ut ei Professio Philosophiae extra ordinem daretur. Eam adiit oratione *de vi bonarum artium ad animum moresque fingendos*; cui scripto *de Comoedia commovente* prolusit. Quomodo autem eam Professionem ornat lectioibus oratoriis, poeticis, et philosophicis, ad rationem morum pertinentibus, quanti concursus ad eum, praesertim in ultimo genere, facti sint, non est necesse commemorare, cum sciant omnes. Atque ei propterea ante plures annos Cathedra Philosophiae moralis destinabatur, cum a morte *Maii* vacabat: sed nulla ratione percelli potuit ad accipiendum, quod offerebatur, quanquam suadentibus atque adeo urgentibus amicis; malleque se, dicebat, religioni suae, quam voluntati aliorum et utilitati suae obsequi, quae a multis in causa tali maxime spectatur, securis virium suarum utilitatisque communis. Etenim negabat, se, propter valetudinis infirmitatem, onus talis professionis, et urgentium saepe ac necessariorum laborum, sustinere posse. Nec eam rem obesse utilitatibus eius sivit liberalitas publica, aucto per beneficium Principis stipendio, quo antea fuerat usus, ad eum modum, ut commoda Cathedrae non acceptae vel aequaret vel superaret: cum ipse vicissim, quod ad docendi vel assiduitatem vel diligentiam attinebat, non modo nihil remitteret a superiori consuetudine, sed etiam eam prope supra vires intenderet, praesertim in lectionibus publice habendis; quas ille ducebat primas, cum multis soleant esse ultimae.

Erat autem universum docendi genus perspicuum imprimis, et, in genere quidem morali, paullulum ad popularitatem

tatem concionum in templis habendarum accedens. Nam et hortabatur interdum ad studium virtutis cuiusque, et laudabat officia magna, indignabaturque vitiorum foeditati: nec ingenium magis agnosceres viri, quam pectus: et ipse tum ingeniis, tum animis vitaeque consulere cupiebat. In quo adiuuabatur etiam amore adversus se audientium, et ipso vocis sono, ad capiendos molles animos, et a natura, et consuetudine, et ipsa imbecillitate corporis, temperato et facto. In rebus ipsis diligentiam ducebat primam. Commentabatur ante, quae traderet; non ut de scripto recitaret, sed ut curatius in sententiis et verbis diceret. Nihil extrinsecus arcessitum: nullae digressiones: nullae neque sui aut disciplinae suae iactationes, neque aliorum obrectationes, neque aliae artes malae iuventutis imperitae captandae. Itaque scholae eius erat non solum doctrinae disciplina, sed etiam modestiae, qua nulla citius ac saepius adhiberi debere intelligebat iuventuti, studia doctrinae aemulanti, praesertim his temporibus, cum omnia insolentia, arrogantia, ostentatione et obrectatione, etiam petulantia foeda, redundant. In exercitationibus scribendi, quibus plurimum uti volebat ad hanc laudem contententibus, severitatem et diligentiam ita moderabatur, ut nec castigando morosius deterreret ab eo studio tardiores, nec vanam fiduciam injiceret ingeniis felicioribus laudando: ceterum ut magis quisque profecerat, ita severitatem castigandi augebat; memor veteris instituti, quo erat cum amicis, *Schlegeliiis, Crameris, Gaertneris, Rabeneris*, usus. Nam cum certis diebus convenirent ad praelegenda, quae quisque scripta attulisset, iis limam quisque admovebat eam, quae nihil

hil quidem intactum relinqueret, quod pulcritudinem ceteram obscurare videretur; ceterum ita molli manu regebatur, ut nihil doloris consequeretur, essetque tanto quisque gravior, quanto fuisset in castigando diligentior et severior.

Atque in illa ipsa exercitatione communi et acuerat aciem ingenii ad videnda vitia orationis, quamvis tenuia et latentia, quae ille non minori, immo etiam maiori diligentia indagabat in suis, quam in alienis, et contraxerat religionem in scribendo tantam, ut sibi saepe diffideret ipse, raro satisfaceret. Itaque non dubitabat profiteri, quaedam de suis non satis sibi probari, et quae probabat, nunquam simpliciter laudabat. Nec aliam ob causam et in scribendo, et multo magis in edendo, cunctabatur, lambens usque fingensque foetus ingenii, dum speciem acciperent, quam speraret se idoneis iudicibus probaturum. In quo etiam adhibebat aliorum iudicium, saepe multorum, ut in fabulis fecit, nec dubitabat ex eorum admonitionibus castigare opera sua. Quo magis mirum videri possit, in illis ipsis, in quibus maxime curam et severitatem castigandi adhibuerat, eam inesse facilitatem sententiarum et verborum, ut ea facillimo partu effusa, non longis et difficultibus nixibus edita videantur: nec est fortasse aliud maius ac certius felicioris ingenii argumentum.

Scriptit bene multa, etiam maturiori aetate, quae omnia probata sunt plurimum, saepe repetita, etiam in alias linguas Europaeas conversa; suntque paucae nationes Europae, apud quas, vel quarum sermone, non legatur aliquid scriptorum eius: nec modo mercenarios, aut linguarum talium magistros obscuros iuvenesque, nactus est interpretes, sed etiam quos-

dam

dam eos, quorum iudicium ipsi honorificum esset. Nec ille rem ad vanitatem trahebat, ut fit plerumque, etiam ab iis, qui suos sibi ipsi instituunt interpretes, rogando, pollicendo, aliisque humilibus artibus, eosque per omnes occasiones commemorant.

Ipse in scriptorum suorum numero maxime probabat *Hymnos sacros*, ad quos scribendos accessit annos natus quadraginta, absolvit anno tertio, non tam artis et ingenii, quam dignitatis et utilitatis ratione: quanquam et ab illa parte per magnam habent commendationem, propter sensuum virtutes et orationis bona; nec dubitemus eum inter principes carminum sacrorum numerare. Fuerunt, qui spiritus sublimitatem in iis desiderare viderentur, et illam, quam Francica consuetudo *unctionem* vocat, verbo de Mysticorum lacunis ducto, et forte nulli satis intellecto, qui maxime in ore habent; hoc est, quibus displicet, nimis intelligi omnia. In quo nostra ab illis plane discrepat ratio, qui facilitatem illam intelligendi, simplicitatemque sensuum et verborum, in hymnis sacris prorsus necessariam et primam virtutem putamus, si sint usibus omnium promiscue scripti, propterea, quod populo nostro et omnino non exercitatis ad intelligenda insensibilia per rerum corporearum imagines pulcras in tropis, nihil tam lubricum et fallax est ad intelligendum, quam illa pinguis et fragrans unguentis rhetoricis oratio: nec ullo modo Pindaricarum aut Horatianarum Odarum sublimitas, doctis et elegantioribus hominibus inventa et destinata, convenit religiosis carminibus, quae ore populi ac plebis cantentur ad exercendam pietatem. Profecto de usitatis publice hymnis omnium minime intelliguntur, hoc est, profunt pietati, qui habent spiritus poetici et unctionis plurimum.

C

Pluri-

Plurimum famae habuit a *fabellis et narrationibus*: nec ullum aliud scriptorum eius plus habet ingenii in inveniendis, munditiae et gratiae in simplicitate mirifica, denique in contextu cuiusque et oratione. Quarum virtutum nullum aliud certius argumentum est, quam a facilitate, primum intelligendi, deinde retinendi mente et memoria. Nec enim puella facile, vel quinquennis, tam est ulla obtusa ingenio, ut non fabulam quamque celeriter arripiat, et memoriter reddat. Vidimus ipsi talem puellam, quae, a variolis sanata, inter convalescendum, lecto adhuc decumbens, primum earum volumen legisset, cum surrexisset de lecto, quam quisque posceret fabellam recitaret sine haesitatione. Nam sicut in musicis, cum modi carminis sunt naturae sententiarum et verborum aptissimi, et simplicitatis naturalis maxime retinentes, aliquoties cantato, ut fit in scena, carmine, propemodum omnes repetere canticum possunt: sic, in orationis quasi cantu, ex illa facilitate retinendi naturalem pulcritudinem et ingenii plane elegantis vim agnoscere debemus.

Non parem ceteris laudem tulisse videbat *Carmina didactica*, quanquam sunt et ipsa e genere morali: ipse sine ambagibus fatebatur, ea sibi probari, supra plura alia opuscula sua. Nec nostrum ab eius opinione dissidet iudicium: sed argumenti gravitas et severitas non capiens tractationem et exornationem satis aptam ad delectandum, quae est in ceteris, fecit, ut lectores ex genere, de quo supra disputavimus, voluptario, qui sunt plerique, hic non multum haberent, quod sibi placeret, quod laudarent: nec illa carmina lectores multos habuere, aut idoneos habere potuerunt, hoc est, doctos, graves, amantes veritatis salubris; qui sunt et erunt semper

semper pauci; sed quorum paucitas viro sapienti carior esse, et, ut ita dicamus, numerosior videri debet, quam ceterorum infinita copia.

Scriptit et fabulas aliquot scenicas e genere comico, primam eam, quae, *feminam hypocriticam* exprimit plane ad vivum. Sed et universum hoc genus scriptorum suorum maturiori aetate ei non amplius satis probabatur, minime omnium ea, quam nominatim posuimus, fabula; sive expiari cupienti invidiam, inde ortam apud homines talis formae, sive, idque per se verius, et ingenio GELLERTI similis est, quod intelligere coeperat, vitia ea, quae ad religionem pertinent, non esse ad risus levitatem et scenae oblectationem trahenda, propter facilem et pronum transitum ad religionem ipsam.

Nec laude caruit *ratio epistolarum scribendarum*; quae pars artis oratoriae hodie minus frequentatur in scholis Rhetorum, cum olim, instauratis literarum studiis, traderetur et exerceretur inprimis, quod in ea esset orationum ac disputationum graviorum et longiorum quaedam veluti prolusio: nec aliam ob causam in parte necessaria et perpetua disciplinae scholasticae collocata est Ciceronianarum epistolarum interpretatio, quae in hoc genere scribendi principatum tenent, habentque solae perfectum exemplar, quod ad imitandum debet esse propositum. Et erat ipse scribendarum epistolarum egregius artifex et magister, quamquam magis e genere eo, quod liberaliter iocatur, venuste narrat, aut officio aliquo humanitatis fungitur, quam quod graviora tractat, magisque ad Plinianam venustatem, et ad vitae privatae hilaritatem, quam ad Ciceronianam simplicitatem, subtilitatem, et gravitatem, et usum in republica; qui olim putabatur primus.

Sed his aliisque scriptis, et ingenii solertiam venustatemque expressam reliquit, et laudem sibi longe lateque apud omnes hominum ordines et genera paravit: vita ipsa pulchriorem etiam imaginem animi habuit, laudis tanto plus habituram, quanto plus est boni in animi religiosi et veris virtutibus condecorati sanctitate, quam in ingenii solertis et acuti excellentia. Et huius opera caduca sunt, illius aeterna.

Erat ei natura animus ad lenitatem, placabilitatem et facilitatem temperatus: simplex idem et rectus: tener ac mollis ad omnes sensus honestos atque humanos: sine latebris fallacibus apertus: nulla invidia suffusus. Aetate florente inerat etiam hilaritatis non parum: virili aetati hypochondriorum vitia aliquid tristitiae addiderant, quae in ore, habitu totius corporis, in ipso vocis sono animadvertebatur; nisi qua res maior erexisset eum et firmasset. Erat eadem de causa timidior et diffidens sibi ad futura: cum res venisset, fortis et constans reperiebatur.

Sed omnium sensuum acerrimus erat religionis, quem ipsa mala corporis acuerant: eum omnium ceterorum moderatorem habebat. Nec alium aut protulit saepius, aut expressit efficacius, aut secutus est constantius, sive diceret aliquid, sive ageret. Sed erat ille sensus, ut ceteri, placidus et tranquillus; ut qui a perspicua et certa scientia duceretur, nullis phantasiae ludibriis permixtus, animi totus, non corporis.

Virtutem veram ducebat ab uno religionis fonte, quae ab alia esset, quamvis speciosa aut innoxia, causa, eam laudabat hactenus, qua labore constaret, et utilis esset publice privatimque; veritatem sive perfectionem ei vix tribuebat:

et

et inflare animos. Itaque, ut volebat legi scripta veterum Graecorum et Latinorum, eloquentiae et doctrinae causa; ita non probabat, ea commendari ob praecepta officii et virtutis: quae esse illa quidem pulchra, sed homini nimium tribuere: unde virtutem nasci arrogantem. Nempe Stoicos modo Latinos cognoverat, et magniloquum Senecam. Nec tamen ignorabat, quid interesset inter virtutem ignavam, quae tota coelestis doni esse vellet, nullo suo labore parari, et alteram, quae ita laboraret, tanquam tota laboris sui esset, ita modesta in effectu laboris, ut omnia Deo tribueret.

Honorem verum non extrinsecus, sed ab conscientia animi, et recte in publicumque utiliter factis, ducebat; nec omnino felicitatem ab adventitiis bonis repetebat. Occasiones augendi honoris et rei familiaris non modo non quaerebat, sed etiam praetermittebat saepe. Libris suis alios ditescere aequus videbat, dum ipse nihilo plus haberet, ut qui omnibus scriptis suis per tot annos, non ultra mille scutatos lucratus esset. Et eam ipsam pecuniam fere ad beneficentiam conferebat, gaudebatque, ingenio se reperisse, in quo animus, ad alienas miseras mollis, benefaciendi materiam haberet. Nam et vestitu, et suppellectili, et victu tenui utebatur, nec aliud, quam necessitatem mundam, sequebatur.

Itaque animum eius nulla invidia tetigit, ut qui invidendi causas nullas haberet: eratque omnibus facilis, aequus, lenis, nisi qui improbiores essent, praesertim in publicum: his quidem graviter irascebatur; quippe et disciplinae privatae ac publicae severitatem probabat, indignabatur indulgentiae, a qua licentiam venire peccandi.

Vix alius aptior amicitii iungendis colendisque fuerit. Omnium hominum atque temporum erat: summis et imis accommodatus sermonibus, moribusque univērsis. Nec facile quisquam alius ita vel miscuerit vel aequaverit omnium benevolentiam et gratiam. Et habebat aliquid proprium, etiam in ipso orationis sono, quo influeret statim in animos, praesertim a lectione scriptorum eius praeparatos et quasi patefactos.

Quibuscumque proprie amicitiam instituerat, eos ad extremum, non modo sine offensione ulla retinuit, sed etiam in dies magis sibi devinxit, ut nihil in hoc genere posset esse constantius. Et erat in amicitii eius non modo id, quod commune est amicitiae cuiuslibet veritati, sed aliquid amplius ac proprium, aliquid velut ardentius et prope *ἐνδυστασιμον*, ab acerrimo videlicet sensu bonorum, quae ex animo, sermonibus eius actionibusque, eminent: cuius contagio etiam ad alios, saepe minus arcte ipsi iunctos, transit. Ipse amicis totus patebat; nec modo ut consilia, studium, labor, pecunia in promptu essent, sed ut etiam retegeret, quae alii clam habent, vitia sua et peccata, praeteritae et praesentis aetatis, naevos item operum suorum: in quibus amici saepius religionis redundantiam, et timoris calumniam, quam veritatem agnoscebant.

Erat omnino timidior, sed ut magis corporis, ab hypochondriis male affecti, vitium, quam animi imbecillitatem agnosceres. In primisque praese ferebat apud amicos mortis horribilem quandam et invictum timorem: cum mors ante oculos esset, nullae timoris illius reliquiae animadvertantur; omnia fortia et constantia reperiebantur. Nempe


illic corpus horrebat mortem, animus tempora contemnendae mortis expectabat. Et contentus mortis longinquae fere in verbis est: in propinquum cum res venit, tum cadunt fortia adversus mortem longinquam verba.

Mortis causam habuit ab obstructione alvi pertinaci, nec ulla vi expugnanda. Vix triginta annos natum invasit morbus hypochondriacus, cuius malis, repetito Carolinarum aquarum usu, levatus ille, omnino liberatus nunquam fuit. Sed sustentabatur tamen corporis robor temperantia severa, et animi tranquillitate perpetua. Itaque etiam bis graves morbos superavit, primam febrim continuam, cum purpura alba, alteram pleuritidem, annis undecim post. Sed ab hac ita vis corporis fracta iacuit, ut nunquam erigi ad alacritatem pristinam posset. Crebri capitis dolores: alvus fere segnis, cum omnibus incommodis inde oriri solitis. Mensis Decembris autem proxime superioris initio plane constitit. Accurrit primus D. *Heinius* V. C. quo medico imprimis curioso, et amico fideli, utebatur. Mox ascitus, praeter D. *Hebestreitium* V. C. in curae partem *Ludwigius*, Vir artis medicae apud nos princeps. Experiuntur omnia, quibus cieri emortua alvi vis posset. Frustra. Miserat mox, periculo viri commotus, Princeps Elector *Demianum*, de Archiatriis suis, accuratissime commendata cari capitis cura. Huius quoque consilia effectu caruere: et apparuit, mortem subesse. Quam ille appropinquantem placidus et bene compositus excepit, uti diximus. Amicis praesentibus, in his praecipuo, *Wagnero*, Viro illustri, qui comes *Demiano* venerat, vale dixit constanter, et magna cum amoris significatione, nec absentium immemor fuit. Tum toto animo conversus

versus ad iter ex hac misera vita ad beatiorē pie et religiose ingrediendum, preces facere et ipse, et aliorum pro se orare, in his *L. Thalemanni*, quocum et crebros ad sustentandum animum adversus doloris subinde aegrescentis acerbitatem, et ad alendam excitandamque felicitatis inminentis spem habuit. Finem dolorum et vitae fecit inflammatio intestinorum et gangraena, die tertia decima Decembris.

Triste spectaculum praebuit corporis aperti facies. Ventris imi intestina omnia arctius iusto cohaerebant: ileum caecum et colon supra modum expansa et turgida: colon etiam ex parte callo duratum et valde coarctatum: induratae glandulae et ulcerosae: tunicae utriusque ita expansae et flaccidae, ut rupturae fuisse viderentur, nisi mors praevenisset: faeces intus nigrae ab atra bile.

Mortis nuncius quomodo affecerit civitatem omnem, vix dici potest: non aliter absentes locis omnibus affecit. Nec facile alius cuiusquam mors tot tam multorum significationibus doloris honestata est, certantibus etiam ingeniis in eo ornando, qui ingenio Germanico tantum honoris etiam apud exteros peperisset. Sed his honoribus maiorem et iustiorē afferent, qui virtutes ingenii animique Gellertiani assequi studebunt, et scribendo agendoque ad decus publicum patriae communis proferent: qui honos ut eius nomini a permultis adiungatur, vel ipsius causa serio optamus. P. P. Domin. VIII. p. Trin. A. C. c1010 cclxx.



Pon. Z62.966
4^u

ULB Halle

3

002 385 287



Handwritten initials





